

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUARE ET QUAM IMMERITO ALIQUI SCANDALIZATI SINT
IN CHRISTO.

I. Quia docuit mundi et carni contraria. — II. Quia
mediam tenuit in sua conversatione viam. — III.
Quia fecit mirabilia. — IV. Quia passus et indigna.
— V. Quia a variis varie aspectus est.

THEMA.

Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.
Joan. XVI.

Lamentatur Jeremias querula sane voce, cap.
XV. *Væ! mihi mater mea: quare genuisti me, virum
rixæ, virum discordiæ in universa terra? Non fe-
neravit, nec feneravit mihi quisquam, omnes male-
dicunt mihi.* Quibus verbis gemit, quod multo-
rum contumeliis et probris impetatur propter
suas minaces prophetias, cum tamen ipse cau-
sam nullam dederit: siquidem nec ad fœnus
accepit, nec dederit: quæ duo solent commu-
niter contentiones excitare. S. Hieronymus in
eum locum: « Potest, inquit, hoc de Jeremia in-
telligi, quod non in toto orbe terrarum, sed in
terra Israel sit iudicatus. Vere autem Domino
competit salvatori, de quo scriptum est: *Ecce,*
hic est positus in ruinam, et in resurrectionem
multorum in Israel. » Sane ipsum esse, in quo
multi scandalizandi sint, indicat ipse in hoc
evangelio, dum post ultimam cœnam admonet
discipulos, ne et illi ex ipsis sint, quia prædixe-
rat eis: *Omnes vos scandalum patiemini in me in
ista nocte, Matth. XXVI. vers. XXXI.* Mirum pro-
fecto hoc: quomodo enim Dominus causam
dare potuit alicujus scandali aut ruinæ aliis?
Non fœneravit alteri, nec fœneravit ei quisquam,
et tamen plerique Judæi, præsertim Jerosolymi-
tani, ei maledixerunt, et maledicunt usque ho-
die. Causas igitur inquiramus.

I. Quia docuit mundo et carni contraria. Unde
Marc. I. dicunt Judæi: *Quidnam est hoc? Quæ-
nam doctrina hæc nova? Ex hoc capite scandalizati
sunt, Matth. XV. quando Christus externas
eorum lotiones et cæremonias reprobavit, et
internam potius sanetitatem quærendam esse
dixit. Unde de hoc discipuli ad eum: Scis, quia
Pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt; simi-
liter et illi, qui dicebant: Durus est hic sermo, et
quis potest eum audire? Joan. VI. Sed insipienter
et immerito. Cogitare enim debebant, quod
Dominus toties dixit, doctrinam ejus cœlestem
esse de cœlo allatam, quare mirum non esse,*

si non sapiat terræ et terrenis, carni et sangui-
ni. Clare hoc indicat Dominus, Joan. VIII. ubi
ait: *Vos de deorsum estis, ego de supernis sum;*
*vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mun-
do.* Loquebatur Christus de suo in cœlos abitu:
sed quia illi de terra terreni erant, scandaliza-
bantur in ejus verbo, et temere arguebant eum,
quasi seipsum interfectorus esset. Christus qua-
si ignis erat, sursum tendens, et cœlestia petens:
ipsi quasi terra erant, deorsum inclinantes, et
terrena quærentes. Videbant ergo Christi doc-
trinam suis intentionibus, concupiscentiis et
desideriis adversari, eosque ex statione et jure
suo depellere, adeoque ad novas leges, quibus
ipsi non obligarentur, velle alligare. Hinc in eum
impegerunt, quasi in lapidem sibi obstantem, et
progressus suos impediante. Provenit autem
hoc ex depravata hominum natura, quæ post
lapsum primorum parentum sibi relicta, tota
pene carnalis facta, et carni subjecta est, ita ut
carnalia fere tantum non spiritualia; terrena,
non cœlestia sapiat: cumque carni inserti sint
homines, putant se ad hoc jus habere ut carna-
lia quærant, et carnem suam foveant. Verum
Christus vidit id ex depravata hominum volun-
tate provenire, et nisi corrigatur, in interitum
corporis et animæ eos abripere; idcirco obsis-
tere eis debuit, et conatum adhibere ut a terra
eos abstraheret, et ad cœlestia erigeret. Tametsi
enim carni inserti simus, rationalem tamen
animam habemus, cujus ductu regi nos vult,
uti decet et oportet: fortior enim trahit post se
debiliorem. A brutis, infantibus et amentibus
nihil tale exigit, sed permittit eos sensibus du-
ci: exegit vero ab homine, usum rationis ha-
bente. Qui in solitudine procul ab hominibus
degit, sibi ipsi permittitur, ut vivat juxta libitum
suum: at qui in civitate degit, civium legibus
adstringitur. Hinc ergo Christus Dominus scan-
dalum factus est Judæis: quia ipsos a terra ad
cœlum, a carne ad spiritum extrahere et ele-
vare voluit: ipsis contranitentibus, et jus quasi
suum terrenæ et carnæ molis allegantibus. Ho-
mines ad honores provolare cupiebant, quibus
ille: *Vade retro post me, non sapis ea quæ Dei sunt.*
Homines carni suæ blandiri et levare frænum cu-
piebant: Christus eam subjugare, macerare et
immolare suadebat. Ac jura quidem, quia si in
ejus aula cœlestis degere aliquando voluimus,
mores ejus aulicos induere, et rusticanos exue-
re debemus. Contingit hoc idem Dei servis, in
quibus mundi hujus amatores scandalizantur:
quia vident se ab eis reprehendi, a terrenis et

piditatibus avocari, et quasi violenter abstrahi
atque expelli suis doctrinis, exemplis, moribus,
precibus, monitis, etc. Cogitant autem id eos
vel ex odio, vel invidia agere, vel etiam in com-
modum suum, ut ipsi magni aestimentur; vel
etiam ex vana persuasionem et deceptionem; quia
ipsi cum terreni sint, terrena etiam cogitant.
Hinc S. Chrys. hom. XVIII. ex variis in Matth.
loc. « Vis, inquit, non tibi evenire scandalum?
Noli esse terrenus. Propterea dico: Mundus ter-
renus scandalum habet, terra ista necesse est
ut habeat scandalum. Noli portare terrenum,
sed cœlestem, et scandalum non habebis. » Con-
siderent ergo terrei et carnales necessarium sibi
esse ut arguantur, et impediantur a progressi-
bus suis per justos; quia alioquin fierent plane
bestiales, imo bestiis multo pejores, et quasi
diaboli, nisi eorum cupiditatibus Deus et pii
obsisterent. Apparet hoc in militibus, qui cum
nihil unquam de cœlo cogitent, fiunt quasi dia-
boli, obvios quosque invadunt, vulnerant, mac-
tant, imo et fugientes silvas canibus vepantur,
veluti feras, juxta id Mich. VII. *Vir fratrem suum
ad mortem venatur.*

II. Quia in conversatione sua media incessit
via: non omnino rigidam, neque etiam laxam
ducendo vitam. Qui per medium populi incedit,
in multos impingat, et a multis trudatur necesse
est: et qui in media contignatione habitat, ab
inferioribus fumo vexatur, a superioribus lotio
perfunditur. Hinc quia mediam vivendi rationem
tenuit Christus, discipuli Joannis et Pharisæi,
qui videbantur religiosi, impingebant in Chris-
tum, quasi laxius conversantem: contra prin-
cipes et opulenti spreverunt eum, quasi nimis
vilem, pauperem, et abjecto habitu incedentem.
Testatur id ipse Dominus, Matth. XI. *Venit Joan-
nes neque manducans, neque bibens, et dicunt:
Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans
et bibens, et dicunt: Ecce homo vorax, et potator
vini.* Prodiit hoc scandalum ex eorum ignoran-
tia, quia non intellexerunt finem et intentionem
actionum Christi, qui in hunc mundum venit,
ut daret omnibus perfectum virtutum exemplar,
quod omnes in suo statu et gradu imitari pos-
sent: ac præsertim ut peccatores a vitis abstra-
heret, et ad Deum converteret. Ad hoc autem
consequendum necesse erat, ut cum eis conver-
saretur, ederet ac biberet, quo eos ad sui noti-
tiam, indeque ad amorem et sequelam alliceret:
sicut venator ut feras jaculetur, et in rete cogat,
viridem induit vestem, uti docet S. Thomas, III.
p. q. IV. a. II. Deinde, ut ostenderet: *Quod in
omnibus talibus (cibo, potu, vestitu, etc.) non
usus rerum, sed libido utentis in culpa est,* ait S.
Augustinus, I. III. de doct. christ. c. XII. Errant
proinde cum istis, qui cum vident aliquos lau-

tius edere aut bibere, delicatius vestiri aut cu-
bare, inde occasionem scandali arripiunt; cum
interim statum, conditionem, finem, intentionem
eorum nesciant. Sic impegit in S. Arsenium ere-
micola quidam senior, uti refert Metaphrastes,
in ejus vita, apud Sur. 19. ju. « Egrotante
aliquando Arsenio sacerdos ecclesiæ vile substravit
stragulum, et capiti quoque pulvinar sup-
posit propter morbi afflictionem. Cum autem
unus ex senibus venisset ad illum visitandum,
et illum sic vidisset utentem stragulis et pulvi-
nari, ei dubitatione commotus est animus. Quod
cum deprehendisset sacerdos, et eum seorsim
abduxisset: Qualis, inquit, erat vita tua prius-
quam esses monachus? Ille vero: Magna, inquit,
me premebat inopia rerum necessariarum, eges-
tatisque mala me cruciabant. Cui sacerdos: Sed
hic, inquit, quem vides, Arsenius, erat pater
imperatorum, quando erat adhuc in vita mun-
dana, magnasque habebat opes, et abundabat
deliciis, jacebatque in sumptuosis et mollibus
stragulis. Quocirca tibi quidem, qui nunc es
inter monachos, est facilior vita, et minus obno-
xia molestiæ, ut qui sis a prioribus liberatus
angustiis. Qui autem ex tantis divitiis et deliciis
sua sponte venit ad tantam humilitatem, et
nunc eam sustinet, quomodo non est dignus,
qui habeatur in admiratione? Hæc cum audis-
set et intellexisset senex, et seipsum condem-
navit, et petiit veniam a sacerdote, propterea
quod non recte cogitasset. » Confirmatur hoc
simili exemplo, quod habetur in prato spiri-
tuali, cap. XXV. de presbytero quodam Stepha-
no, qui ex jecinoris dolore graviter ægrotus, a
medicis edere carnes jussus, comedit. Interim
advenit frater ejus sæcularis, cæteroqui pius,
qui: « Videns illum vescentem carnibus, seanda-
lizatus est, et valde contristatus, quod ex tanta
abstinentia atque continentia in extremo vitæ
suæ tempore, ad comedendum carnes devolu-
tus esset. Mox ergo in extasi factus, vidit quem-
dam dicentem sibi: Quare sic de presbytero
scandalizatus es? Quia illum vesci carnibus vi-
disti? Nescis, quia necessitate compulsus, et
propter obedientiam id fecit? Nempe propterea
scandalizari non debuisti. Nam si merita et glo-
riam fratris tui videre cupis, ultro convertere,
et vide. Conversusque vidit fratrem suum cru-
cifixum cum Domino. Aitque ad eum is, qui
illi apparuerat: Ecce, in qua gloria frater tuus
est. » Ex quo patet, errare eos qui offenduntur
ob aliquorum exemptiones, dispensationes et
immunitates a communibus oneribus, cum hæc
suas causas habent, nec impeditio quominus
aliquis Deo nihilominus maneat conjunctus, et
crucis ejus particeps. Sunt enim illæ quasi con-
fortamenta, quibus Dei servus roboratur, ut

diutius ac fortius in posterum ei servire queat.

III. Quia fecit mirabilia, cum summa potestate ejiciendo dæmonia, patrando stupenda miracula, et quas potestatem habens prædicandi cœlestia, et quia multi ipsum esse Deum non credebant, malis artibus ea comparata, vel a dæmonum assistentia ei subministrata impie existimabant. Hinc illa Phariseorum blasphemiam: *Hic non ejicit dæmonia nisi in Beelzebub*, Matth. XII. Hinc illa admiratio: *Unde hic litteras scit, cum non didicerit?* Joan. VII. hinc aiunt: *Unde huic sapientia hæc et virtutes? Unde huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo*, Matth. XIII. Solet summum sensibile sensum offendere, v. g. summa lux solis oculos perstringit ac lædit: summi bombi tonitruorum aut bombardarum aures percillant ac vulnerant: summus calor aut frigus tactum lædit, etc. ita summa Christi potentia ac sapientia captum humanum longe excellens, offendit Judæos. Verum stulte et immerito: cogitare enim debebant ipsum plusquam hominem, adeoque Deum esse: vel saltem tantam sapientiam et miraculorum potestatem a Deo ipsi collatam esse. Id enim demonstravit miraculis in hujus veritatis confirmationem factis, quæ fallere non possunt. Verum invidia et malevolentia cor eorum alio deflexit, ad malignas nimirum cogitationes, quasi a dæmone ea nutasset, uti exponit Abulensis, Maldonatus, Lyran. et Carthus. Quare Theophil. eam offensionem tribuit invidiæ eorum: «*Obstupescabant, inquit, quod solet invidis accidere. Sicuti pauper vicinus repente in splendidiore vestitu proleat, et videat eam vicinus invidus, dicit: Quomodo hic tam sumptuosis vestibus indutus est? Unde huic vestis illa?*» Scandalum hoc invadit etiamnum plurimos alios, qui cum vident aliquos summe excellere sive in sapientia, sive in divitiis, sive in vestitu, mox apud se conjequant, quasi malis artibus sibi comparassent. Verum huic offendiculo charitas occurrere debet, de qua 1. Joannis II. dicitur: *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est.* Suggestit enim charitas hæc talia et tanta a Deo provenire, et collata esse proximo, cui bene et non male vult, nec bonum esse dubitat; dum non convincitur esse malus.

IV. Quia passus est indigna, ut caperetur, illuderetur, denique condemnaretur ad infamem crucem. Hinc multi imprudentes cogitare cœperunt, omnem ejus vitam et doctrinam meram illusionem fuisse, ut quem viderunt jam quasi a Deo desertum, imo velut peccatorem a Deo castigatum, et cum latronibus ejectum atque abjectum. Ita enim loquuntur apud Isa. c. LIII. *Nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum.* Lepra enim apud Judæos sæpe

erat pœna peccati. Et de hoc scandalo loquitur Dominus, Matth. VI. cum ait: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.* Nimirum imprudens vulgus ita judicare solet, ut cum quis in calamitatem quamcumque tandem incidit, eum ob delicta sua puniri a Deo existimet; qui error non apud gentes solum communis, sed etiam apud Judæos frequens erat; uti colligitur ex illa Judæorum apprehensione, qua eos judicaverunt peccatores fuisse, quorum sanguinem miscuit Pilatus cum sacrificiis, Luc. XIII. necnon ex illa apostolorum interrogatione: *Rabbi quis peccavit, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Joan. IX. Hinc visa alicujus calamitate continuo scandalizabantur, eumque enormem peccatorem aversabantur. Hinc Christo jam capto, et eorum tribunali accusato, maleque accepto nemo amplius patrocinari aut favere, nemo causæ ejus se miscere voluit; imo omnes condemnarunt eum reum mortis; prorsus sicut canes cum eorum unus in rixa cadit, omnes cum invadunt, sive læsi ab eo fuerunt, sive non. Credibile est cives Jerosolymitanos, etiam qui Christi prius faverant, cum viderunt eum jam condemnatum, cum latronibus educi, seipsos redarguisse, quasi in ipso fœde decepti essent, quem jam videlicet latronibus junctum et æquiparatum cernerent. Verum stulte et iniquissime. Cogitare enim debebant non quæ passus est, sed quam innocenter et immerito. Recolere debebant vitæ ejus sanctitatem, nulli defectui obnoxiam, grandia ejus erga se merita et benefacta, doctrinam cœlestem et inculpabilem. In templo Salomonis duo erant altaria, unum foris in atrio, altare holocaustorum, sanguine cruentum et fœdo odore horridum: alterum in templo, altare thymiamatis, auro splendidum, et suavissimo odore plenum, III. Reg. VI. Ita in Christo Domino duo videre erant tempore passionis ejus: carnem undique dilaniatam et cruore perfusam, velut ingentis alicujus malefactoris; et hoc quidem foris: sed intus tamen videri poterat ac debebat vita ejus innocentissima, sanctissima, omnium virtutum odorem referens et longe lateque spargens. Hujus altaris suavitas non difficile poterat illius factorem corrigere si Judæi voluissent æqui judices esse.

Quod Christo accidit, crebro etiam aliis integræ vitæ hominibus evenit, ut si quando in aliquam calamitatem incidant, vel in tribulatione sua ad tempus deserantur, alii ex ipsis scandalum incurrant, quasi ejusmodi flagellum culpa sua meruissent, et Deo exosi essent. Ita impegerunt Melitenses in S. Paulum, cum a vipera invasum et admorsum viderunt. Inde enim conjectabant ultione divina velut reum esse percussum: *Utique homicida est homo hic,*

dicebant, qui cum evaserit e mari, ultio non sinit eum vivere. Verum mox errasse se deprehenderunt, quando Paulus sine noxa bestiam excussit. Tunc mutantes sententiam in contrarium, dicebant illum esse Deum, Actor. ult. Similiter errarunt in Jobo amici ejus, qui tantam ejus calamitatem ipsi inflictam cernentes, reputabant ejus peccata causam dedisse, uti patet Job, IV. § VII. et seq. verum ad extremum et ipsi se deceptos viderunt, quando Deus cum honore restituit ei omnia in duplum. Idem de Christo cogitare Judæi debebant, scriptum videlicet esse de ipso Psal. CXVII. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Idem de aliis multis afflictis credere æquum est. Lapidem enim a structoribus primo calcantur pedibus, et huc illuc projiciuntur, denique attolluntur in ædificium ab ejus ornatum: ita etiam Deus justos hic sæpe deprimit, et aliorum pedibus subjicit; sed in fine eos extollit, et in cœlestis Jerosolymæ structuram inserit.

V. Qui a multis conspectus et inspectus est per colorata perspicilla. Qui viridibus utitur perspicillis, omnia viridia esse, quæ intuetur, existimat: cærulea, qui cæruleis. Cives Jerosolymitani multi, si non plerique omnes, Christum aspexerunt per affectum depravatam et perversum opinionem suorum magistratum, summorum sacerdotum, principum et Phariseorum. Hinc conceperunt similem in Christum opinionem, et cœperunt una cum illis eum condemnare et clamare: *Non hunc, sed Barrabam.* Fateor, grave et periculosum est hoc scandalum, quod a magistratu et superioribus datur. Id enim est instar fermenti, de quo apostolus, 1. Cor. V. ait: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Est instar oculi cæcutientis, qui totum corpus seducit. Unde S. Chrysostomus, homil. 4. de verb. apost. Modico vino utere. «*Sicut in corpore, inquit, aliquo membro corrupto non est magnum damnum: oculis vero læsis, vel capite contrito totum corpus inutile redditur: sic et qui in alta quadam tamquam virtutis specula cum multa claritate constitutus, ab omnibus admirationi habitus, quando cecidit, magnam ruinam et jacturam facit: non tantum quia ex alto cecidit, sed quoniam aliis multis scandali materia est, in ipsum respicientibus.*» Verum audire Judæi Christum potius debebant, qui de Phariseis malitiose scandalizatis ait ad discipulos: *Simite illos, cæci sunt, et duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadent*, Matth. XV. Non est imitandum exemplum superiorum, quando legem Dei violant: lex præferenda subditis, et ob oculos ponenda, qua et magistratus obligantur. Hinc

Psalm. CXVIII. dicitur: *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum*, quasi diceret: Non scandalizabuntur exemplo pravorum, qui legem Dei diligunt, et omnibus rebus præponunt. Hac consideratione evasit scandalum Mathathias una cum filiis suis. Cum enim legati Antiochi instarent, ut relicto Deo vero, thura diis immolaret, dicentes: *Fac jussum regis, sicut fecerunt omnes gentes, et viri Juda, et qui remanserunt in Jerusalem, et eris tu et filii tui inter amicos regis, et amplificatus auro et argento, et muneribus multis*, respondit et dixit magna voce: *Etsi omnes gentes regi Antiocho obediunt, ut discedat unusquisque a servitute legis patrum suorum, et consentiat mandatis ejus, ego et filii mei, et fratres mei obedimus legi patrum nostrorum. Propitius sit nobis Deus; non est nobis utile relinquere legem et justitias Dei, etc.* 1. Maccab. II. Multo minus turba in hujusmodi judiciis audienda est. Turba enim sic fere instituta est, ut uno oscitante oscitet alter et sicut unus in pago canis latrare incipiens, excitat omnes alios ad latrandum canes, quotquot sunt in pago, tametsi nullum hostem videant, nec quid agatur, advertant: ita plebs vociferans trahit secum alios. Hinc bene in Psalmo XXI. ait per prophetam Christus judicatus: *Cir, cum dederunt me canes multi.* Quis vero stolidorum canum latratum, quis plebis imperitæ clamorem curet? «*Hippomachus, pugilandi magister, inquit Ælianus, lib. II. var. hist. cap. VI. cum athleta quidam ex ejus discipulis specimen exhiberet artis, et circumstans multitudo universa plausum tolleret, percussit eum virga Hippomachus, inquit: Tu vero perperam, neque sicut oportebat, fecisti, quod melius fieri debebat. Nam si quid artificiosum præstitisses, non hi te collaudarent: innuens, eos, qui unumquodque ritu gerunt et administrant, non multitudini, sed iis tantum, qui rei scientiam aliquam habent, placere oportere.*»

Quibus omnibus perspectis, manifeste patet Christum Dominum nullo modo per se et directe dedisse causam his offensionibus; cum nihil omnino terreni quæsierit in terra, nec suum sed aliorum bonum ac salutem. Tota igitur culpa in Judæis fuit, qui velut cæci in meridie in Christum impegerunt. Quod ipsum etiam assero de illis Christianis, qui in aliorum factis tamen temere se scandalizant. Si enim audirent D. Chrysostomum, nunquam scandalum incurrent. Ita enim ille hom. LX. in Matth. «*Cujus rei gratia tollenda erat scandala, an propter eos, qui detrimento afficiuntur? Sed non inde qui detrimentum patiuntur, pereunt, sed desidia et ignavia sua: quod virtutis cultores verum esse ostendunt, quia non modo nullam a scandalis patiuntur injuriam, sed plurimum etiam lucran-*

tur. Qualis certe Job ille erat, qualis Joseph, quales justi denique omnes. Quod si multi pe-reunt, propter negligentiam suam id accidit. Nisi enim ita res se haberet, sic propter scan-dala ipsa homines perirent, universi sane ho-mines id paterentur: quoniam vero multi eva-dunt qui non effugit, sibi ipsam culpam attribuat. Nam scandala quidem, ut jam tetigimus, exci-tant etiam atque acuunt, et perspicaciorum faciunt non solum eum, qui sibi diligenter ca-vit; verum etiam eum, qui forte incidit, nam posteaquam se inde eripuerit, cautior atque tutior redditur. Quare si diligentiores sumus, non parvum fructum ea ex re cœpimus, quare vigilare semper compellimur.»

CONCIO II.

QUAM SIT GRAVE ET PERICULOSUM, PRÆBERE
SCANDALA.

I. Væ dicitur scandalizantibus ob scandali gravita-tem. — II. Dicuntur eruendi et abjiciendi e com-munitate. — III. Jubentur mergi in mare cum mola asinaria. — IV. Ne scandali occasio detur, nihil non agendum et ferendum.

THEMA.

Hæc locutus sum vobis, ne scandalizemini.
Joan. XVI.

Observarunt viri doctissimi, sacræ Scripturæ interpretes, non unum discrimen inter maledic-tionem, quam pronuntiavit Deus in primos nostros parentes, pessimo serpentis sibilo seduc-tos, et in serpentem, ipsorum seductorem. Im-primis enim: *Neque mulieri* (inquit Rupertus, libro de victoria verbi Dei, cap. XV.) *maledicta es: neque viro, maledictus, dixit; sed tantum hoc: Maledicta terra in opere tuo, etc. Soli serpenti di-xit: Maledictus eris; quo videlicet dicto firma et immutabilis intelligenda est sententia damnationis.* Rursus Procopius in eum locum: *Mirabile, in-quit, vide indicium, deceptos interrogat, decepto-rem non interrogat, sed quasi malum et mali auc-torem, et penitus incorrigibilem, ventique indignum affatur.* Denique, serpens inter tres prævarica-tores, ultimo interrogatus, primus condemna-tur: *Quia fecisti hoc, maledictus eris, etc.* Quid sibi volunt ista? Nimirum interest plurimum inter seductorem, et inter seductos: inter auc-torem scandali et inter scandalizatos. Isti meren-tur pœnam: ille etiam maledictionem. Isti ad judicium citandi sunt: ille vel injudicatus et abs-que processu judicii condemnatus. Isti quidem luent: sed ille omnium primus, qui scandalum præbuit. Audimus in hodierno evangelio, quan-ta dixerit Christus suis discipulis, ne scandala in-currerent; quanta ergo dicturum putamus iis,

qui scandala præbituri sunt? Dixit certe illis se-vera, et terribilia, quæ nunc audiemus.

I. Locutus est Matth. XVIII. Dominus: *Væ au-tem homini per quem scandalum venit.* Gravem esse hanc comminationem indicat particula *væ.* *Væ enim in Scriptura,* inquit S. Gregorius, ho-mil. IX. in Ezechiel. *sæpius de æterno luctu, quam de præsentis solet intelligi:* et S. Chrysostomus, homil. VII. in Genes. *Væ enim hoc, inquit, est quasi lamentantis supplicium illud inexcusabile subituros.* Hinc Isa. XXX. dicitur: *Væ impio in malum:* et Job. X. *Væ mihi si impius fuero.* Ex quo sequitur scandalum datum, si ad lethale pecca-tum inducat, semper esse lethale et gravissi-mum peccatum; quia non unum tantum vul-nerat sed duos semper ad minimum: scandalizatum et scandalizantem, atque hunc multo gravius, quia hic homicida est alterius. Quare teste Climaco gradu vigesimo sexto scalæ para-disi: *Sunt inter immundos spiritus reliquis nequio-res, qui peccatum solos operari nos minime consti-lunt,* (qui scilicet ad scandala danda impellunt) *ut graviore supplicio nos mulctandos parent,* quo modo scilicet periti venatores ad unam avem, v. g. anatem, non statim jaculantur, sed occa-sionem captant, ut duas aut tres uno jaculo mactent. Hujusmodi autem venator Lucifer fuit ab initio, quando cauda sua trahebat tertiam partem stellarum cœli, Apocal. XII. Quem velut genuinæ proles imitantur; id quod lamentatur S. Bernardus, serm. 1. in septuagesima. « Uti-nam, inquit, sub nos impugnarent maligni spiritus cum suggestionibus suis: et nihil nocerent homines perniciosis exemplis, persuasio-nibus importunis, atque aliis mille modis. » Confirmatur hoc ex eo, quod Joan. VIII. Domi-nus dixit: *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio.* In quem locum S. Augustinus, tract. XLII. ait: « Homicida dicitur diabolus: non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem ve-nit: verbum malum seminavit et occidit. Noli ergo putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades: si fratri tuo mala persuades, occidis: et ut scias quia occidis, audi Psalmum: Filii hominum, den-tes eorum arma, et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus. » Occidit dæmon sua suasionem primos nostros parentes, corpore et animo oc-cidit scandalizans, si non corpus, saltem ani-mam, quod longe gravius est, quam si ipsum dæmonem in hominem intruderet ad vexandum illum. Sed quid dico non solum necat hominem, sed ipsum etiam Christum cujus sanguinem de-nuo fundit. Ita scribit S. Bernardus, in sermone de conversione S. Pauli: « Denique, inquit, si proprium sanguinem dedit in pretium redemp-

tionis animarum, non tibi videtur graviorem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestionem ma-ligna, exemplo pernicioso, scandali occasione ab eo animas, quas redemit, quam a Judæo, qui sanguinem illum fudit? Agnoscite dilectissimi et expavescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum. « Horrendum penitus sa-crilegium, quod et ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrile-gas injecerunt. » Quinetiam talis destruit totum opus Dei, teste apostolo ad Romanos XIV. scri-bente: *Noli propter escam destruere opus Dei;* hominem scilicet scandalizans esse vetita. Qui autem destruit hominem, destruit totum Dei opus, non solum redemptionis sed et creationis; quia propter hominis salutem cœli et universa creata sunt. Destruit, inquam, dum ædificat peccatum. « Scandalum enim non bonæ rei, sed malæ exemplum est, ædificans ad delictum, » inquit Tertullianus, lib. de veland. virgin. cap. III. Sanctus Chrysostomus, homil. XXV. in epis-tol. ad Romanos sic exponit: « Salutem fratris vocat divinum ædificium: si ergo ecclesiam des-truere grave est, et scelestum: multo magis si hoc templo spirituali fiat. Augustior enim est homo magisque venerandus quam ecclesia. Non enim propter parietes mortuus est Christus, sed propter ista Spiritus sancti templa. » Denique, si Phariseis hypocritis, qui occultando sua sce-lera se solos perdebant, adeo minatus, et toties *væ* ingeminat Dominus! quid expectabunt Chris-tiani, si publice libereque peccantes scandalo sint aliis? Quod sane prudenter expendens S. Gregorius Nazianzenus, apologetum I. dixit: *Mihi timor incutitur, cum et Phariseos probris affi-ci, et Scribas redargui video.*

II. Locutus est eodem Matthæi citato capite hæc: *Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum et projice abs te.* Causam expo-nit S. Chrysostomus, homil. LX. in illum Mat-thæi locum scribens: « Nihil enim, inquit, ita periculosum ac pestiferum, ut consuetudo pra-vorum hominum et conversatio: ideo magna quadam cum vehementia jussit nocentes a no-bis propinquos depellere: eos vero amputandos atque projiciendos esse consequentia ipsa rerum significat, qui scandali auctores sunt. » Qui pestifero laborant vel extinguuntur morbo, sua contagione omnia inficiunt, ideo omnia quæ-cumque ipsi tangunt vel tetigerunt, averruncari ex ædibus et projici vel in aquam vel ignem solent. Pestem igitur esse scandali auctores in-dicat Dominus, dum erui jubet et projici; et quidem in profundum maris, uti addidit: *Qui scandalizaverit unum ex pusillis istis, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et de-mergatur in profundum maris.* Quid commisit

mola asinaria seu lapis molaris, ut eum scan-daloso demergi in mare debeat? Nimirum vide-tur Dominus loqui de homine, qui molam asi-nariam vel gyravit vel tetigit, ideoque non ipse solus, sed una cum mola, quam traxit, demer-gendus in mare dicitur, ne eorum contagio polluantur alii: ut observat ad eum locum S. Ambrosius, serm. X. Quam ob causam apos-tolus scandalosum quemdam et incestuosum fornicarium e communitate ejiciendum, et tra-dendum Satanæ scribit, et mandat Corinthiis; 1. Cor. V. rationem adjungens: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* hoc est, quod unius hominis scandalum omnes alios inficiat: *Expurgate vetus fermentum,* putri-dum istum fornicarium e cœtu vestro ejicite. Hinc etiam Achan, qui suo furto scandalizavit Israel, cum omni domo et suppellectile sua lapi-datus et combustus est, Josue VII. hinc jubet Deus prælo instante ejici de exercitu milites formidolosos, ne corda cæterorum subvertant, et pavore suo imbuant, Deut. XX. hinc Jeroboam, qui erectis aureis vitulis peccare fecit Israel, eversus et deletus est de superficie terræ cum omni domo sua, III. Reg. XIII. Quinimo vide-runt etiam malum hujus contagiosæ pestis gen-tilis, et simili remedio sustulerunt. Etenim Assuerus, cum intellexisset reginam Vasthi, conjugem suam; detrectasse ejus imperium, statim animadvertit cum suis consiliariis fore hanc ejus insolentiam scandalosam toti regno suo. « Egreditur, inquit quidam regis consultor, sermo reginæ ad omnes mulieres, ut contem-nant viros suos, et dicant: Rex Assuerus jussit, ut regina Vasthi intraret ad eum, et illa noluit. Atque hoc exemplo omnes principum conjuges Persarum atque Medorum parvi pendent im-peria maritorum. » Itaque regina mox repu-diata et ab aula expulsa est, Esther 1. Ecce, nec reginæ quidem parcitur a rege gentili, ne mo-dicum fermentum totam massam corrumpat. Videant magistratus christiani, quid Deo res-ponsuri sint, si gravia scandala tolerent. Surge-t Assuerus, surgent ejus consilarii in die judicii et accusabunt illos.

III. Locutus est eodem Matthæi capite in hunc modum: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris.* Quibus verbis indicat præstare mori, et quovis diro supplicio e vita exterminari, quam ferre aliquem scandalo: quia mersio est mors corporis solum, scandalum vero datum est mors animæ tam propriæ quam aliorum qui scandalizantur. *Cur hoc dixit,* inquit S. Ber-nardus, epist. VII. ad Adam monachum, *nisi quia significare voluit tam gravia in posterum ma-*